UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

12. De paralytico ad piscinam sanato. Ioan, 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

ſiue in bonis, ſiue in malis. Quo enim videtur commodis noſtris amplius fauere, hoc amplius noſtræ ſaluti inſidiatur.

MEDITATIO XII.

De Paralytico *iuxta piſcinam ſanato.* *Ioan. 5.*

IESVS *à paralytico 38. annorũ iuxta piſci-* 1.
nam Hieroſolymis iacente cum rogaſſet. Viſne ſanus fieri? Is reſpondit. Hominem non habeo, qui me mittat in piſcinam. Conſidera diuinæ ſapientiæ altitudinẽ, quod ex plurimis ægris ibi iacentibus vnum tantum ſanandum ſumat: id enim facit, vt conſeruemur in timore Dei, in cuius manu vita æquè ac mors noſtra poſita eſt. Deinde vt magis excitemur ad illum amandum, cuius gratia ſcimus nos miſericordiſſimè præuentos. 2. Conſidera, licet Dominus nõ ignoraret, quid hic æger peteret, tamẽ ab eo rogauit, velletnè eſſe ſanus, vt ſuã exponeret voluntatem. Ieſus enim nõ eſt Saluator eorum qui nolunt, ſed volunt, & ſuæ ſaluti cooperãtur. nam vt dicit B. Au- *Ser. 15*
guſt. *Qui creauit te, ſine te, non iuſtificabit te* *de ver.*
ſine te, id eſt, ſine cooperatione tua. Tum *Apoſt*

rogauit, vt eum accenderet ad deſiderandam ſanitatem, ſicq́ue dignior illa redderetur. 2. Conſidera per paralyticum hunc deſignari peccantes ex conſuetudine longa, per cæteram vero turbam languidorũ, cæcorum, claudorum & aridorum, iacentium ad piſcinam peccantes ex negligentia, ignorantia, fragilitate, & malitia, qui ſi velint, omnes ſanari poſſint.

Dicit ei Ieſus. Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et ſuſtulit, ac ambulabat. Tunc Iudæi Sabbathum eſt, inquiunt, non licet tibi tollere. Et ille. Qui me ſanauit, iuſſit. Conſidera, tunc Dominum peccatori dicere: Surge, quando cõdonato peccato, infundit illi ſuam gratiam. Tunc autem peccator tollit grabatum, cum diſplicent, quæ prius delectabant, ambulat verò, cum gratię acceptæ cooperatur, exercẽdo ſe in operibus bonis. 2 conſidera, Iudæos arguere in paralytico, quod videbatur eis reprehenſibile, & non quod erat laudabile, nempe miraculum adeptæ ſanitatis, peruerſi enim in aliis notare tantum ſolent mala, quę publicent, non autem bona; at ſi nocent, in malam partẽ interpretantur. 3. conſidera. crabatum eſſe bona huius vitæ, opes, honores & voluptates, in quibus

homo

homo æger decumbit, quando illis dele-
ctatur. quando verò pro onere reputat, ſi-
gnum eſt eum ſanum eſſe & ambulare.

Iesvs *cum declinaſſet à turba, inuenta*
poſtea in templo paralytico dixit. Sanus fa-
ctus es, iam noli peccare, ne deterius tibi ali-
quid contingat. Conſidera, Ieſum ideo de-
clinaſſe, vt doceret in bonis operibus nō
quærendum hominum applauſum, dein-
de aliquando expedire digredi ab illis, qui
ad calumniandum ſunt procliues, & opti-
ma intentione facta, in peſſimam partem
interpretantur. 2. conſidera, paralyticum
poſtea inuentum á Chriſto in templo, vt
diſcas, quoties gratia aliqua à Deo ditatus
fueris gratias ei referre, non lingua tantū,
ſed religioſa etiam conuerſatione, frequē-
tando Eccleſias, audiendo conciones, &
vitam priſtinam in meliorem commu-
tando, ne ſubtracta à Deo per ingratitudi-
nem noſtram gratia, deterius aliquid no-
bis contingat, hoc eſt, in priora pec-
cata relabamur, & in iis ex de-
ſperatione veniæ, mo-
riamur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN